

*Besleria cristata* vereor potius quod sit *Durantis* species.

*Brownia* debebat aliqua planta vocari in memoriam optimi Brownii, sed est alia quae dicitur *Brunia*, *pentandra*, dudum ita vocata, nec potest utrumque nomen diverso sono enunciari, adeoque ego non potui aliquam ejus nomine insignire.

*Mesosphaera Br.* forte sit *Ballotes* species.

*Zygia* est omnino *Mimosae* species.

*Plumbago* 2. Character generis ex hac absolute desumptus est. Plantam habeo vivam in horto, et hodie floret copiose, cujus misisti semina debet esse distincta species, cum zeylanicae calyx totus hirsutus, tuae calyx tantum apice hispidus est ut in europa, esse tamen Tuam genuinam speciem *Plumbaginis*, dubium esse nequit ex misso fructu.

*Verbesina* 1. etiam floret in horto, posset equidem genus distinctum constituere, sed evito plura genera affinia *Bidentis*, *Verbesinae*, *Coreopsidis*.

*Crotones* dari sta minibus decandris distinctis novi et dixi.

*Schizolobium* annon posset ad *Dolichum* referri, in hac gente non debent genera nimis multiplicari.

*Monanthera* egregium sane genus est, sed vellem mutares nomen, cum *monanthera* sit terminus artis.

*Decandra monogyna aut subdigyna* videtur esse *Cynanchum*.

*Sauvagesia* Tua habet pilos capitatos circum pistillum positos, ac si essent stamina antherifera plurima, sed in ista quam possideo e Surinamo nulla ejusmodi filamenta reperio, esse tamen eandem speciem dubitari nequit.

*Aloe pro Yucca habita* nequit esse *Yucca*, cum germen sedeat infra florem, nec intra ut in *Yucca*, adeoque Tua erit omnino *Agave*.

*Cassytæ* in flore videor mihi videre plures antheras, sed nescio num sint polliniferae.

Dabam Upsaliae 1759, d. 22. Novembris.